

**Statuta ac constitutiones Academiae Caes. Reg. Josephinae
Medico-Chirurgicae : adjuncta simul norma in promotione magistrorum et
doctorum chirurgiae praescripta. Ad mandatum ... Josephi II.**

Contributors

Brambilla, Giovanni Alessandro, 1728-1800.
Medicinish-Chirurgische Josephs-Akademie.

Publication/Creation

Viennae : Joan. Thom. nobilis de Trattnern, 1787.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/g3j9yhbb>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

STATUTA

A C

CONSTITUTIONES
ACADEMIÆCÆS. REG. JOSEPHINÆ MEDICO-CHIRURGICÆ
ADJUNCTA SIMUL NORMA
IN PROMOTIONE MAGISTRORUM ET DOCTORUM
CHIRURGIÆ PRÆSCRIPTA.

AD MANDATUM

SACR. CÆS. REG. APOSTOLICÆ MAJESTATIS
JOSEPHI II.

EDITA

A JOANNE ALEXANDRO S. R. I. EQUITE
DE BRAMBILLA.

VIENNÆ,

TYPIS JOAN. THOM. NOBILIS DE TRATTNERN, SACRÆ CÆS
REGIÆ MAJ. TYPOGRAPH. ET BIBLIOPOL.

1787.

451
h

UNIVERSITY OF TORONTO
LIBRARY
ST. GEORGE'S HOSPITAL
TORONTO, CANADA



CONSPLECTUS

I. PARS.

STATUTA ET CONSTITUTIONES ACADEMIÆ CÆS.
REG. JOSEPHINÆ MEDICO - CHIRURGICÆ.

I. CAPUT.

Institutum evehitur ad dignitatem *Academiæ: Diploma cæsareum.*

II. CAPUT.



Classes membrorum academicorum: Director: Electio membrorum:
eorum officia generatim.

III. CAPUT.

Conventus academici: *Objecta conventuum.*

IV. CAPUT.

Quæstiones academicæ: *Disquisitio Responsorum: Adjudicatio*
præmiorum primæ classis, pro qua destinatur numus au-
reus.



II. P A R S.

INCITAMENTA TYRONUM DILIGENTIÆ; ET NORMA IN PROMOTIONIBUS MAGISTRORUM ET DOCTORUM CHIRURGICÆ OBSERVANDA,

I. C A P U T.

Incitamenta tyronum diligentiae, qui scholam adhuc frequentant, per annua præmia secundæ classis: nempe per numismata argentea.

II. C A P U T.

Qualitates illorum, qui Magisterium Chirurgiæ adsequi cupiunt: Examina eorum.

III. C A P U T.

Qualitates illorum, qui ad gradum doctoris Chirurgiæ adspirant: Examina eorum.

IV. C A P U T.

i Juramentum utriusque.

V. C A P U T.

Taxa promotionum & administratio pecuniæ; expeditio Diplomatum.



VI. C A P U T.

Jura & prærogativa Diplomati annexa.

AUGUSTISSIMUS noster, ut Instituto Medico-Chirurgico fundamenta poneret, amplissimum æque ac splendidissimum ædificium exstrui, atque aulas & ejusdem conclavia numerosis voluminibus, instrumentis exquisitissimis, omni- que alia suppellectili, quæ salutaris medicinæ quam theoreticæ, quam practicæ multiplices scientiæ requirunt, exornari curavit, simulque selectissimos unicuique artis medico-chirurgicæ parti professores designavit.

Benignissimæ optimi *Conditoris* curæ duplicem huic Instituto finem præfixere, non solum omnibus austriacis ditionibus, sed & toti humano generi eadem ratione salutarem: nempe

Academiæ medico-chirurgicæ, in qua viri doctrina & meritis clarissimi mutua opera scientiæ provehendæ studerent, cujus opem afflicti mortales in quotidianis vitæ periculis jure implorant.



Instituti medico-chirurgici, in quo chirurgi necessariis
in commodum reipublicæ artibus informentur.

Convenienter huic duplici fini præsens opusculum con-
tinet,

I. *Statuta & Constitutiones Academiae Josephinae medi-
co-chirurgicæ.*

II. *Incitamenta tyronum diligentiae & Normam in pro-
motive (*) magistrorum, & chirurgiæ doctorum observari
solitam.*

I. PARS.

(*) Ordo & nexus totius Instituti legi potest in opere germanico, quod etiam idioma-
te italico nuper prodiit, cui titulus præfixus est: *Norma professoribus Acade-
miæ Casareo-Regiæ Chirurgicæ præscripta.*

I. P A R S.

INSTITUTA ET CONSTITUTIONES ACA
DEMIÆ JOSEPHINÆ MEDICO·CHIRURGICÆ.

I. P. A. R. S.

INSTITUTA ET CONSTITUTIONE A
DEMI JOSEPHINE MEDICO-CHIRURGO



I. C A P U T.

INSTITUTUM HONORIBUS ACADEMIÆ DONATUR;
CÆSAREUM SUPER HAC RE DIPLOMA.

§. I.

SACRATISSIMA MAJESTAS per chirographum die 13.
Februarii 1786. datum Instituto Medico-Chirurgico a SE-
condito Academiae honores clementissime detulit sub no-
mine *Academiae Medico-Chirurgicae Josephinae*, atque hac super re Di-
ploma sequens propria AUGUSTISSIMI manu subscriptum exa-
ratum est.

B

NOS

NOS JOSEPHUS II. divina
 favente clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, Germaniæ, Hierosolymarum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiae, Slavoniæ, Galliciæ, & Lodomeriæ Rex, Archidux Austriæ; Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Styriæ, Carinthiæ, & Carniolæ; Magnus Hetruriæ Dux; Magnus Princeps Transylvaniæ; Marchio Moraviæ; Dux Brabantiae, Limburgi, Luciburgæ, & Geldriæ, Wittenbergæ, superioris & inferioris Silesiæ, Mediolani, Mantuæ, Parmæ, Placentiæ, Quastallæ, Usurciæ & Zatoriæ, Calabriæ, Barri, Montis ferrati, & Teschenæ; Princeps Sueviæ, Carolopolis; Comes Habsburgi, Flandriæ, Tyrolis, Hanoniæ, Kiburgi, Goriziæ & Gradiscæ; Marchio sacri Romani Imperii, Burgaviæ, superioris ac inferioris Lusatiae, Mussiponti, & Nomenei; Comes Namurci, Provinciæ Valdemontii, Blancobergæ Zutphaniae, Sarwerdæ Salmonæ, & Falkensteinei, Dominns Vindorum Marchiæ, & Mechlinii.

Subditorum ordini qui communem patriam, dignitatem throni & bona civium tuendi causa quævis vitæ pericula subit, singularem NOSTRAM non minus affectionem testari, quam etiam
 ejus-

eiusdem munia, dura quidem, at honorum plena sublevare cupientes separatim & omnibus docendæ artis salutaris partibus completum *Institutum militare medico-chirurgicum* in NOSTRA metropoli condidimus, ad easque obeundas peritissimos viros elegimus, simulque iussimus novum huic fini dicatum ædificium ab imo extrui, atque illud institutioni necessariis & instrumentis & apparatu & omnis generis suppellectili cumulate exornari.

Huic igitur Instituto omnibus nunc numeris absoluto publicum NOSTRÆ tutelæ signum exhibituri pariterque & universos nostros subditos fructuum ex hac Schola redundantium participes facturi impertimur eidem

1^{mo}. Præfens NOSTRA manu subscriptum diploma, quo illud publicam *Cæsareo-Regiam Academiam* declaramus, tribuentes ei hoc titulo omnes Chirurgiæ, Medicinæ universæ parenti, competentes prærogativas, quæcunque cæteris regnorum ac ditionum NOSTRARUM universitatibus sunt concessæ. Per has prærogativas data est illi

2^{do}. Facultas eos discipulos, qui in eadem præfinitum studiorum cursum absolverunt, & in præscriptis examinibus doctri-

næ ex Medicina & Chirurgia haustæ specimina luculenta ediderunt, Chirurgiæ magistros & doctores pronunciandi, atque hoc honore insignitis consueta diplomata expediendi. Volumus porro

3^{to}. Et hisce mandamus universis & singulis regnorum NOSTRORUM tam supremis dicasteriis, quam etiam eorum subordinatis magistratibus & officialibus, promoti in hac Academia Magistri & Doctores in hac qualitate per omnia NOSTRA regna & ditiones agnoscantur, fruanturque ubique locorum jure in ordine æque militari quam civico artem suam exercendi, atque simul omnia publica & regia Chirurgiæ convenientia munia & officia obtinendi.

4^{to}. Tandem concedimus Academiae in locum sigilli ad expedienda diplomata, & alia academica acta NOSTRUM proprium sigillum cum sequente inscriptione:

ACADEMIA CÆS. REGIA JOSEPHINA MEDICO-
CHIRURGICA VINDOBONENSIS.

Dabamus Viennæ in nostra metropoli die quinta Aprilis
anni millesimi, septingentesimi octuagesimi sexti; imperii romani
vigesimo tertio, & regnorum hæreditariorum sexto.

JOSEPHUS.



Joan. Rudolph. Comes Chotek.

Ad Mandatum Sæc^æ. Cæs^æ. Regiæ
Majestatis proprium.

Tobias Philippus L. B.
de Gebler.

Josephus de Sonnenfels.

§. II.

Hæc Academia omni tempore augusto & immediato REGNANTIS PRINCIPIS præsidio regetur, ita quidem, ut semper cujusvis ævi director singula mandata ad eandem pertinentia immediate ab AUGUSTISSIMO recipienda habeat, atque illi licitum fit nullo interveniente ad summum principem de rebus & majoris momenti negotiis referre.

 C A P U T II.

CLASSES MEMBRORUM ACADEMICORUM: DIRECTOR: ELECTIO MEMBRORUM: OFFICIA EORUM GENERALIA.

§. III.

Tres erunt classes membrorum academicorum: FIXA, ASSOCIATA, & CORRESPONDENTIA: numerus designatus primæ classis academicorum est triginta, singularum reliquarum classium viginti.

§. IV.

§. IV.

In primam classem recipiuntur primum professores hujus Academiæ; dein professores Chirurgiæ & anatomiæ quum Vienneſes, tum regionum hæreditariarum; tandem chirurgus primarius in rebus noſocomi militaris cum Instituto conjuncti dirigens.

Licet quidem academici hujus classi omnes membra fixa Academiæ considerentur, debitoque jure locum in conventibus academicis occupent; tamen æquum est, ordinarios Academiæ professores, uti & chirurgum primum in noſocomio dirigentem a reliquis hujus classi titulo membrorum *perpetuorum* ſecernere, cum isti proprie pro munere, quo funguntur, actualia Academiæ membra ſint conſtituti.

§. V.

Secundæ classi ASSOCIATORUM adnumerandi veniunt professores chirurgiæ & anatomiæ, dein etiam chirurgi practici exterarum regionum.

§. VI.

Tertiæ classi adſcribuntur CORRESPONDETES (*) tam indigenæ quam exteri professores & chirurgi. Postinde etiam iis Corre-

re-

(*) Hi Decretum non accipiunt ab Imperatore, ſed immediate a Directore nomine Academiæ ab eodem ſubſcriptum.

respondentibus, quorum in Academiam eximia & singularia merita sunt, aditus in secundam classem concedi potest.

§. VII,

Director Academiae perpetuus est ille, cui munus & protochirurgi exercituum imperialium & chiriatrī Sacrae Cæsareo-Regiæ Apostolicæ MAJESTATIS committitur.

§. VIII.

Cum vero fieri possit, ut director ob morbum, vel alia de causa abesse cogatur, cumque etiam negotiorum academicorum multitudo adiutorem exigat, adjungitur illi vice-director, quotannis in sessione a direttore & quinque professoribus Academiae per vices eligendus. Hic eligendus semper est ex quinque professoribus Academiae, & quidem die primo a dominica in albis.

§. IX.

Eodem modo eligitur Secretarius Academiae ex quinque professoribus dictis, ita tamen, ut eundem pronunciare solius sit directoris, utpote quem ad hoc officium aptissimum noverit.

§. X.

§. X.

Ut quis numero academicorum adscribatur, petitor dissertationem quamdam medicam, aut anatomicam aut chirurgicam germanice vel latine scriptam, aut observationes momentosas fide & cunctis suffragiis Academiae dignas offerre debet.

§. XI.

Quando igitur quispiam ob lucubrationes suas cum orbe litterato communicatas insigniter notus ad academicos adungi cupit, tenetur easdem saltem lucubrationes, ut normae praescriptae aliquantum fiat satis, Academiae transmittere.

§. XII.

In locum sodalis vacantem alter in sessione academica substituitur. Verum de electione novorum membrorum deliberari numquam potest nisi directore & consentiente & praesente.

Cujusvis academici officium est absque partium studio sua suffragia ferre, & dum unice honori Academiae studet, nec muneribus publicis, quae petitor implet, nec commendationibus moveri, sed ponderare merita candidati eminentia, & quod longe praestat,

dexteritatem ejusdem in scientia anatomico - medico - chirurgica abunde cognitam.

§. XIII.

Quem per suffragia electum cognoverit, eundem director nomine Academiae per litteras significat Excellentissimo Domino consilii bellici Praesidi, qui factam electionem SACRAE CAES. REGIAE MAJESTATI proponet.

Consensu AUGUSTISSIMI obtento Excellentissimus consilii bellici Praeses dignabitur, novum actualem & incorporatum sodalem per epistolam ex mandato AUGUSTISSIMI de facta electione certiore reddere, eamque directori Academiae tradere, partim ut receptam expediat, partim ut ipsi confirmationis Caesareae testimonio sit.

§. XIV.

Membra primae & secundae classis, quae jure conventibus academicis assidendi gaudent, & facta electione prima vice ad eos accedunt, fide honesti viri in manum directoris confirmabunt: se legibus academicis fidelissime auscultaturos, atque omnes academicos fratrum loco habituros, utpote qui animo amicitia pleno sunt conjuncti tam ad salutem civium communem, quam ad incremen-

mentum Academiæ adjuvanda. In pignus mutui hujus fœderis singuli ex ordine academici novum fratrem osculabuntur.

§. XV.

Licet finis, in quem hæc Academia medico-chirurgica instituta est, & titulus honorificus academici cuivis universim membro haud incognita injungat officia, tamen ii præcipue, qui vitam intra fines imperii austriaci degunt, pluribus longe & majoribus momentis ad honorem Instituti amplificandum obligantur. Nemo igitur dubitat, quin eorum quilibet minimum quotannis dissertationem exquisitam, aut observationem singularem sit oblaturus.

§. XVI.

Academicorum erit Viennæ habitantium recentiorum litteratorum opera in compendium ferre, talia nempe quorum argumenta gravia, & consiliis Academiæ inservire possunt: excerpta dein statis diebus in sessione prælegenda. Cum annuæ novitates, quæ in amplo medicinæ campo impressæ prelo divulgantur, facili hac via in notitiam academicorum veniant, nullus sane moleste feret, quod excerptiones ex autoribus germanicis, latinis, italicis, gallicis, & anglicis pro uniuscujusque linguarum peritia faciendæ proponantur.

 C A P U T III

 CONVENTUS ACADEMICI, MATERIÆ PERTRACTANDÆ.

§. XVII.

Negotia Academicæ in ordinariis & extraordinariis sessionibus pertractantur, quibus, in palatio academico peculiaris aula dicata est.

§. XVIII.

Conventus ordinarii aut sessiones academicæ, exceptis diebus ferialibus, paschalibus & litteralibus seu tempore, quod vacationis appellant, indicentur semper die jovis, hyeme quidem hora secunda pomeridiana, & æstate hora tertia; neque unquam ante bihorium finientur. Negotiis ultra modum auctis, aut casu consultationem academicorum sine mora exigente, iidem aliis etiam quam jovis diebus agentur.

§. XIX.

Extraordinarios vero conventus requirunt propriæ Academicæ curæ, quatenus ad conservandum ordinem, constitutiones &

Sta-

Statuta & similia diriguntur. In hunc finem congregantur soli director, vice-director, secretarius, & perpetua membra: professores ordinarios puto, & chirurgum nosocomii dirigentem.

§. XX.

Ordinariis conventibus adesse licet tum membris fixis quam associatis, & exteris in urbe praesentibus. Quapropter primae & secundae classis academici conscio direttore semper ad sessiones invitandi, atque de die & hora praefixa certiores faciendi. Verum correspondentibus membris aditus non conceditur, nisi in casu peculiari, aut si Academiae res magni momenti proponendas vel praelendas habeant.

§. XXI.

Primum locum in sessionibus occupet director, eoque absente vice-director, semper tamen de omnibus, quae in Academia interim gesta sunt, accurate certior reddi debet. Sponte patet, quemvis academicorum obstringi erga vice-directorem praesidentem eadem reverentia, quae directori debetur. Locus vice-directori est a dextra directoris praesentis.

§. XXII.

Ad sinistram directoris sedet tertio loco secretarius Academiae; hunc sequuntur ex utroque latere primi Academici perpetui, tum reliqui actuales, tandem associati, si qui adsint; omnes eo ætatis ordine, quo in cœtum academicum sunt admissi.

§. XXIII.

Primis duodecim actualibus academicis, iis nempe, qui in urbe principe commorantur, in singula sessione, cui intersunt, totidem nummi argentei destinantur, ab AUGUSTISSIMO fundatore concessi, in quarum una parte effigiem EJUSDEM, & in averfa inscriptionem videre est: *Academia medico-chirurgica militaris*. Finita sessione fit distributio a direttore, & oportet academicum, ut gaudeat hoc munere integræ sessioni adfuisse. Denique ut præsentia aut absentia cujusvis extra omne dubium ponatur, quilibet, accepto nummo suum nomen sessionum libro inscribit.

§. XXIV.

Socii actuales, qui per decursum integri anni nec ullam quovis modo operam ad consilia Academiae contulerunt, sequenti anno privantur jure obtinendi nummi, quem Academia in signum grati
ani-

animi largitur. Numi ex hac ratione aut ob absentiam membrorum residui in futurum usum conservantur.

§. XXV.

Ne in tuendis opinionibus, aut aliam ob rem conventus academici justo acriore fervore turbentur, direttore utprimum campanulam pulsante tacendum cuilibet. Si jussu etiam silentio quispiam negotia interrompere pergeret, quod tamen de viris moratis ne quidem suspicari licet, liberum est directori præcipere, ut talis confessu excedat.

§. XXVI.

Materies ordinariarum sessionum præcipua hæc est: dijudicatio scriptorum transmissorum; approbatio aut emendatio singularium observationum cum operationibus chirurgicis aut medicamentis tum internis tum externis institutarum; consultationes in gravioribus casibus; celebratio memoriæ defunctorum academicorum.

§. XXVII.

Dissertationes, observationes & alia quæcunque expensis rei cursoriæ solutis ad Academiam mittenda, exterius inscribenda sunt:

sunt: *Secretario Academiae Josephinae medico-chirurgicae*. Eadem directori inscripta remittuntur similiter ad secretarium. Secretarii est, omnia exhibita codici separato diligenter inserere notatis simul die & nomine accepti; deinceps vero omnia indicare directori, qui ordinem prælegendorum in sessione præscribit.

§. XXVIII.

Quælibet dissertatio, observatio, aut quodcunque aliud scriptum, de quo Academiae sententia ferenda est, bis legatur. Prima lectione facta non colliguntur suffragia, sed tempus conceditur academicis, ut ab una sessione ad alteram, quam audierunt materiem ad regulam rationis perpendant. Quo fit, ut ad iudicandum in sessione secunda sint promptiores.

§. XXIX.

In iudicanda dissertatione plurima vota valent. Approbatio obtenta notetur in commentario actorum Academiae e regione inscriptæ dissertationis. Si autor lucubrationis petierit, ut ex merito per eandem acquisito inter academicos recipiatur, electio fiat secundum legem X-XII; si vero academicus evadat, significatur illi approbatio per epistolam a secretario nomine Academiae scriptam, & a direttore consueto majore sigillo munitam.

§. XXX.

§. XXX.

Dissertationem academici absentis, cæterum per omnia ob rerum ubertatem approbatione dignam mutare, aut contradiore brevitate proponere Academiae licuerit, si quædam parvæ mutationes aut epitome magis arriserint. At semper de his commonefaciendus prius autor, & ni permiserit, remittatur illi exemplar nulli deinceps usui Academiae futurum. Si vero propositas mutationes ratas se habiturum litteris declararit, assensus auctoris adversariis Academiae ingeritur, & chirographum inter acta seponeitur.

§. XXXI.

Lucubrationes, quarum leve argumentum proflin sub oculos cadit, non leguntur; dubio tamen super earum tenuitate exorto, semel sunt legendæ. Qua dein per omnes cognita decernitur: eas Academiae votis non respondere, simulque [id ipsum auctori modo supra dicto nunciatur.

§. XXXII.

Si dissertatio contineat de operatione chirurgica aut medicamentis sive internis sive externis memorabiles observationes, committet Academia uni aut suorum pluribus curam, narrata experi-

menta similibus institutis comprobandi & veritatem confirmandi. Commissariis præfinitur tempus, quo de eventu illorum diligenter conscripto Academiae renunciandum est. Renunciatio facta pro securitate Academiae in tabulario asservatur, atque autor de repetitorum experimentorum eventu certior redditur.

§. XXXIII.

Dum peculiare, raræ, minusque cognitæ morborum historiae & curationes enarrantur, auctori dissertationis incumbit eas testimoniis fidem merentibus fulcire. Quæ, si desint, requirit Academia, ut producantur sessioni, aut commissa in medio relinquet.

§. XXXIV.

Idem notetur, si quis peculiarem a se factam pathologicam observationem miserit. In re tam magni momenti, ut omnis evitetur error, necesse est, præparatum pathologicum adjecta accurata descriptione simul exhiberi.

§. XXXV.

Consideranti finem Academiae perspicuum est: a quocunque ejus sociorum Viennæ incola denunciandum illico, si quo factum memoratu dignum in praxi clinica occurrerit. Confert quam maxime

xime ægrum, si morbi conditio ferat, coram Academia fitti; secus si fuerit, quidam invitandi sunt academici, qui ægrum invitant propius & consociato studio observent.

§. XXXVI.

Observationes super morbo disquisito præsentis ægri factæ consignentur, dein in adversariis separatis, atque a directore, vice-directore, & academico, qui ægri curam agit, subscriptis. Quæ vero extra conventum academicum ab invitatis academicis colliguntur observationes, hæ sunt ad Academiam scriptæ & explicatæ deferendæ.

§. XXXVII.

Admissæ & ab Academia approbatæ dissertationes, ut & approbatæ vel etiam emendatæ observationes tam præsentium academicorum quam exterorum conservandæ inter acta Academiæ, donec typis impressæ mediocri volumini in quarto constituendo sufficiant. In promulgandis scriptis academicis non certi temporis ratio sed rerum copia habebitur.

§. XXXVIII.

Singulo volumini actorum academicorum in lucem prodeunti annectentur in fine nomina membrorum actualium, associa-

torum & correspondentium. Illorum nomina, qui inter editionis tempora unius & alterius voluminis ex vita decedunt, asterisco † notantur.

§. XXXIX.

Cuilibet actuali aut associato membro, quod ad memorias Academiae suam operam confert, exemplar dono dabitur.

§. XL.

Memoria defuncti primæ & secundæ classis recoletur ab Academia publica oratione. Eum in finem eruentur omni diligentia natales, educatio, litterarum studia, res insigniter gestæ, even-ta vitæ ante actæ, omnesque laudes de salute civium publica & patriæ, de amplificatione artis salutaris, atque de incremento hujus Academiae meritæ. Ita panegyricus sermo typis impressus posteris tradetur.

C A P U T IV.

QUÆSTIONES ACADEMICÆ: DISQUISITIO RESPON-
SORUM; ADJUDICATIO PRÆMIORUM PRIMÆ CLASSIS,
QUÆ IN NUMMO AUREO CONSISTUNT.

§. XLI.

Academia quotannis tempore paschali sub præsidio directoris in conventu peculiari quæstionem proponet, cujus argumentum defu- metur ex rebus gravissimis medico-chirurgicis. Determinata quæ- stio ex diariis publicis innotescet academicorum cuivis, & chirur- gis legionum imperialium primariis.

§. XLII.

Academicis quidem integrum quæstioni enodandæ vacare, at in præmium jus non datur. Exceptis his admittuntur ad certa- men indigenæ & exteri, ordinis æque militaris ac civilis. Atta- men quanto plures dissertationes Academia receperit a chirurgis co- piarum imperialium, tanto magis sibi gratulabitur, quod fini præ- fixo propius accessisse videatur.

§. XLIII.

Responſa quæſtionum germanico aut latino ſermone expoſita, & Protochirurgo Academiae directori, aut Secretario ejuſdem inſcripta ante feſtum paſchale expenſis curſus publici ſolutis Viennam mittenda ſunt.

§. XLIV.

Relinquitur liberum æmulis nomina ſua diſſertationi manifeſta apponere, aut ut alias fieri aſſolet, eandem ſymbolo latino notare, adjuncta ſimul obſignata ſchedula, in qua exterius idem ſymbolum, interius vero nomen autoris, munusque & locus habitationis adſcripta ſunt. Schedæ diſſertationi, quæ primas tulit, ut & illa, quæ acceſſit, id eſt, ſecundo loco poſita fuit, annexæ aperiantur, reliquis omnibus intactis & una cum diſſertationibus ad remittendum ſeparatis.

§. XLV.

Elapſo præſinito ad mittendas diſſertationes tempore, ſecretarius eaſdem perluſtrando ordinat, & director ad dijudicationem conſtituit dies ſeſſionum. Primum ſeliguntur eæ, quæ optime elaboratæ videntur. Qualibet dein ex lege §. XXVIII. in binis ſeſſionibus diverſis lecta, feruntur de palma adjudicanda ſuffragia.

Di-

Directori ut academicorum singulo unum duntaxat est suffragium casu excepto, quo inter paria prioris suffragium præponderat.

§. XLVI.

Nulla omnium dissertationum expectationi Academiae satisfaciente, quæstio eadem publicanda ratione, in annum sequentem iterum proponitur, simulque præmium duplicatur. Quod si etiam secundo anno votum non impleatur, repetitur tertio, & triplum præmium statuitur.

§. XLVII.

Responso nec tertio etiam anno satisfaciente, Academia sepe decidet ullum, quod votis competeret, posthac obtinendi: quare in annum quartum alia quæstia publicabitur, & præmiis per tres jam annos non distributis constituetur duplum pro singulo trium sequentium annorum.

§. XLVIII.]

Autor dissertationis coronatæ, Viennæ degens, publice honoratur præmio in auditorio academico a direttore, qui nomine Academiae merenti debitas laudes tribuit, & adeptam ad gloriam gratula-

tulatur. Absenti aut negotiis impedito præmium cum votiva gratulatoria epistola mittitur, & in auditorio publico promulgatur.

§. XLIX.

Pro præmio constitutum est numisma aureum, in cuius facie anteriore effigies *Sacratissimæ Majestatis JOSEPHI II.* conditoris & protectoris Academiae spectanda offertur, & in averfa inscriptio: *Bene merentibus de arte medico-chirurgica præmium constituit N. N. (*) MDCCLXXXV.*

§. L.

Dissertatio coronata cum addito autoris nomine semper prælo subjicietur, & quidem sumptibus Academiae,

§. LI.

Quæ dissertatio quam proxime accedit coronatæ secundo ponetur loco, seu gaudebit, ut vocant, *Accessit.* Dein etiam Academia honorifice appellabit eos, quorum responsa licet quidem ex toto non eminuerint, tamen per partes diligenter fuerunt elaborata.

II. PARS.

(*) Primum præmium in Academia militari medico-chirurgica constituit chirurgus status militaris supremi *Brendel*, prout dudum ex diariis publicis innotuit. Ut memoria viri de patria optime meriti perpetuo exstet, *sua* Majestas jussit nomen ejusdem in primo nummo academico insculptum posteritati tradere.

II. P A R S.

INCITATIO TYRONUM AD DILIGENTI-
AM, ET NORMA IN PROMOTIONIBUS MAGISTRO-
RUM ET CHIRURGIÆ DOCTORUM OBSERVANDA.

J. P. A. R. S.

INCITATIO TYRONUM AD DILIGENTIAM
ET NORMAM IN PROMOTIONIBUS MAGISTRI
RUM ET CURSUS DOCTORUM OBSERVANDAM.



CAPUT I.

INCITATIO TYRONUM IN COLLEGIO ACADEMICO
HABITANTIUM PER ANNUA PRÆMIA SECUNDÆ CLASSIS,
SEU PER NUMMOS ARGENTEOS.

§. I.

Ut numerosæ juventutis, quæ in Academia eruditur, præter spem muneris chirurgici obtinendi, insuper incendatur diligentia, præmia argentea quinque aut sex florenorum eminentioribus constituta sunt singulo semestrio distribuenda, eo puta tempore, quo cursus anatomix & Chirurgix inferioris ad finem perductus est.

§. II.

Numismata hæc effigiem *Sacratissimæ Majestatis* JOSEPHI II. exhibent, & secluso omni alio, solummodo chirurgiæ studiosis in collegio academico habitantibus sunt destinata.

§. III.

Delectus juvenum, quibus certare de præmiõ licet, chirurgó primario nosocomii dirigenti relinquatur & profectori, quibus peculiariter munus delatum est, invigilandi & progressui in studiis anatomicis chirurgicisque, & indefessæ ad ægrorum lectos applicationi & moribus.

§. IV.

In publico auditorio præsentibus omnibus certantes examen subeunt ex anatomia & chirurgia. Assident director, vice-director, professor anatomes & physiologiæ, professor pathologiæ chirurgicæ, chirurgus nosocomii primarius & profector. Finito examine recipiunt ii, quorum maxime probata fuerunt industria & progressus, numismata pro ratione doctrinæ exhibitæ majora aut minora, simulque substituuntur in proxime vacantem locum stipendiarios, nisi jam prius hoc beneficio fruantur.

C A P U T II.

QUALITATES EORUM, QUI MAGISTERIUM CHIRUR-
GIÆ ADSEQUI CUPIUNT.

§. V.

Instituti scopus, videlicet: formare chirurgos reipublicæ aptos, quibus in omni discrimine salus civium committi possit, aut plane non attingeretur, aut etiam maxima ex parte negligeretur, nisi ab Academia sanctissima lege statutum esset, ut quibus ab ea praxis chirurgiæ publica permittitur, severissimum omnibus examen subeundum sit. Ante omnia cuilibet candidato magisterium chirurgiæ a vice-directore in libello supplice petendum, & adjungenda ab eodem testimonia, 1^{mo}. quod in hac Academia præscriptum biennem studiorum cursum absolverit, & in scientia medico-chirurgica notam primæ classis obtinuerit; quodque 2^{do}. sex annorum spatio, si biennium prius dictum adnumeretur, in nosocomiis seu civicis seu militaribus praxim manibus exercuerit. Aliquot diebus a præsentato libello candidatus vice-directorem adeat, diem & horam examinis ut resciat.

§. VI.

Ad obtinendum magisterium chirurgiæ ordinaria examinā scholastica nil conferunt, sed duo alia omnino severa requiruntur, quæ in bihorium singula sunt protrahenda, primi examinis hora prima quæstionibus ex physica, anatomia, & physiologia; secunda vero pathologiæ nimirum parti medicinæ utilissimæ tota impenditur. In secundo examine prima hora transigitur in operationibus chirurgicis, arte obstetricia, fasciisque & instrumentis utriusque artis exercitio necessariis, tandem etiam in chirurgia forensi. Ultima hora destinata est quæstionibus ex medicina clinica, botanica, chemia atque materie medica & chirurgica. Proponuntur simul casus practici intricatiores, quos explicare, aptaque medendi methodo pertractare candidatus debet formulis remedium ex arte præscriptis.

§. VII.

Examina suscipiuntur in aula academica. Hæc vero ut absque difficultate ab indigenis diversarum provinciarum & linguarum, quæ imperio austriaco subjacent, subiri queant, proponuntur pro casuum diversitate in germanica, latina, gallica, aut italica lingua.

§. VIII.

§. VIII.

Examinihus adfunt director, professor anatómiæ, & physiologiæ, professor pathologiæ chirurgicæ, professor operationum chirurgicarum, professor pathologiæ & praxis medicæ, professor chemiæ & botanices. Locum absentis cujuscunque ex dictis sex examinitoribus ordinariis supplet chirurgus nosocomii primarius dirigens. Duobus absentibus etiam quinque examiniores sufficiunt. Denominatio extranei academici, qui sexti examinitoris munus impleat, relinquitur arbitrio directoris,

§. IX.

Quæstiones professoribus seligendæ sunt ex materiis, quas quilibet in suis prælectionibus pertractavit; at directori est liberum interrogare de omnibus & singulis medicinæ partibus, maxime autem de iis, quæ munus candidati obeundum & practicum scientiarum haustarum exercitium propius attingunt. Procul dubio certius argumentum de candidati eruditione elicitur ex tentamine, in quo materies quædam ardua penitus discutienda venit, quam ubi ad quæstiones justo nimis multiplicatas responsis accurate reddendis ne quidem tempus conceditur. Igitur ut examen eo in ordine & nexu instituatur, ut materies proposita undique exhauriri queat, professores inter se oportet prius convenire, quo velint modo quæstiones ex una artis medico-chirurgicæ parte in aliam
di-

dirigere v. g. professor pathologiæ chirurgicæ examinet earum præprimis partium morbos, quarum descriptionem paulo ante candidatus professori anatomici fecerat; eodem modo professor operationum eas sibi operationes explicari jubeat, quæ in eisdem læsis occurrere solent, & sic porro.

§. X.

Viri integerrimi & officio atque honori suo intenti spem certam faciunt, fore, ut nunquam in examine partium studio contra aut pro candidato agatur. Tales potius se in hoc negotio præbebunt examinatores, ut præsentis candidati animum magis erigant, quam ultro dejiciant.

§. XI.

Finito examine candidatus ex aula abscedit, deinquè suffragia colliguntur. Suffragatio fit ope globulorum alborum & nigrorum, qui in hunc usum in arcula parati asservantur. Arcula instruenda est scriniolo ad recipiendos in suffragatione globulos apto. Globuli albi designant, ut mos est, approbationem, & nigri rejectionem. Suffragiis latis director numerat globulos, & indicat fortis conjectæ eventum, id quod a vice-directore examenum catalogo inseritur. Ad obtinendum magisterii honorem requiruntur saltem quatuor globuli albi. Quatuor nigri penitus rejiciunt.

Suf-

Suffragiis inter nigros & albos æqualibus candidato ad repetenda studia tempus sex mensium, aut ad summum unius anni conceditur.

§. XII.

Approbatus in aulam revocatur, & magister chirurgiæ pronuntiatur hoc ritu: „ cum in tentaminibus ex legibus & præscripto ordine susceptis per *Omnia* aut *sufficienter* satisfeceris, ego ex potestate ab AUGUSTISSIMO NOSTRO IMPERATORE huic Academiæ & mihi ejusdem directori data, te magistrum chirurgiæ creo, tibi que largior dehinc omnes prærogativas & privilegia ad officium, quo nunc fungeris, aut in posterum functurus es, necessaria, quæque a sacratissima MAJESTATE dignitati a te hodie obtentæ concessa sunt.

§. XIII.

Tandem promotus admittitur ad jusjurandum capite quarto præscriptum & obtinet diploma magistris chirurgiæ dari solitum.

C A P U T III.

QUALITATES ILLORUM, QUI AD GRADUM DOCTORIS CHIRURGIAE ADSPIRANT, EORUMQUE EXAMINA.

§. XIV.

Ad obtinendum doctoris chirurgiae gradum petitori testimonia adferenda, quod in hac Academia biennem scientiae medico-chirurgiae cursum cum profectu primae classis absolverit, completosque octo annos, si adnumeret biennium mox dictum, suam artem in nosocomiis seu militaribus seu civilibus opere & manibus exercuerit.

§. XV.

Cum mandato die 31. Augusti 1781. publicato chirurgi militares legionarii antequam magistri aut doctores chirurgiae nominentur, ad biennem studiorum cursum in hac Academia cum diligentia & insigni profectu absolvendum teneantur, Academia sibi legem generalem praescipit, posthabito omni gradu magistri chirurgiae a quacunque seu universitate seu lyceo concessio ab omnibus candidatis sancte in suis promotionibus exigendi, ut eundem

cur-

cursum academicum ex præscripto absolvant. Petitio gradus doctoris eodem modo præsentatur ac magistri.

§. XVI.

Tria examina pro gradu doctoris requiruntur. Prima duo, licet modus tentaminum sit idem qui magistrorum, differunt tamen quod sint severiora, quod quatuor globuli albi approbationem non reportent, quod omnes sex albi deposcantur. At etiam magister in hac Academia ante promotus admittitur ad tertium examen pro gradu, si in primis duobus examinibus omnium suffragia meruit, & ultro testimoniis docuerit, se duos adhuc annos a tempore promotionis arti exercendæ in nosodochiis militaribus aut civilibus operam dedisse.

§. XVII.

Ad tertium examen convenitur in auditorio publico, huicque adesse licet non solum studiosis Academiae, sed invitantur etiam auditores hospites. Operatio hic chirurgica candidato in cadavere perficienda datur. Professor operationum curam geret, ut omnes & singulæ operationes schedulis convolutis inscriptæ & pyxidi inclusæ in promptu habeantur. Qualemcunque a professore extractam candidatus dein instituendam suscipiet. Nihil quæ ope-

ratio fortè data, ex gravioribus fuerit, completo examini non sufficit: leviorum exiguntur duæ.

§. XVIII.

Cum exercitium quarundam operationum mechanica manuum dexteritate nitatur, candidatus ante, quam operationem suscipit, accuratam, non raro valde amplam theoriam & rationes determinantes explicare debet. Quamobrem brevis sed integra expositio præmittenda, in qua morbos operationem admittentes, symptomata prævidenda, indicationes, & contraindicationes, tandem cautelas ante — in — & post eandem observandas docet. Unde operatio non minore cum circumspectione ac in vivo fieret, in cadavere peragenda est.

§. XIX.

More recepto dicta expositio ex tempore facienda. Veruntamen omnibus facultate publice perorandi non præditis, neque etiam ex animi imbecillitate imperitiam non semper arguente, candidato minus audaci, qui in primis examinibus unanimum consensum consecutus est, venia dari potest, ut ante operationem per horam in conclave auditorio contiguum se conferat, ordinem materiei conscriptum, tumque ex sua scripta compositione recitet.

§. XX.

§. XX.

Instrumenta, fasciæ & alia operationi inservientia ex supellectili academica operatori porriguntur. At pertinet ad censuram examinis, ut ea omnia candidatus ipse seligat, & quidem eo ordine, quo in operatione iisdem est usus.

§. XXI.

Lege academica cautum est, ut in institutõibus pariter ac praxi omnes operandi methodi minus solitæ, nec omnibus probatæ aut periculo plenæ & ex eventu plerumque noxiæ rejiciantur penitus. Quare candidatos in hoc examine eum operandi ordinem & methodum, quæ in Academia docetur, demonstrare oportet.

§. XXII.

Quoniam omnes operationes chirurgicæ per veras cognitiones anatomicas diriguntur, felixque ab eis duntaxat eventus dependet, candidatus publica quoque scientiæ anatomicæ documenta edere jubetur. Idcirco director aut professor anatomes partem cadaveris designabit, in auditorio publico præparandam, & ad amulsi-
m demonstrandam, simulque ex principiis physiologicis explicandam.

§. XXIII.

Candidato nunc post omnia tentamina cunctorum calculis approbato publice annunciat^r promotio in eodem auditorio, in quo tertium examen fuerat subeundum, hisce verbis: „ cum theoretica & practica studia ex præscripto & ordine nostræ Academiæ absolveris, & in tentaminibus publicis scientiæ universæ medico-chirurgicæ specimina applaudendis omnibus præbueris: ego ex potestate ab AUGUSTISSIMO NOSTRO IMPERATORE huic Academiæ & mihi ejusdem directori data, te doctorem chirurgiæ creo (imponitur hic ejus capiti loco bireti pileus) tibi que largior omnes prærogativas & privilegia a sacratissima MAJESTATE dignitati a te hodie obtentæ annexa: eisdem doctoratus frueris dehinc libertate artem medico-chirurgicam ubique locorum tam in ordine militari, quam civili exercendi, doctoris chirurgiæ titulo gaudendi, omniaque doctori chirurgiæ competentia munia obeundi.

§. XIV.

Tandem promotus admittitur ad jusjurandum capite quarto scriptum, & obtinet diploma doctoribus chirurgiæ dari solitum.

C A P U T IV.

JUSJURANDUM A MAGISTRIS ET DOCTORIBUS
CHIRURGIÆ EXIGENDUM.

§. XXV.

Promotus stans legit digitis tribus dextræ manus sublatis & alta voce jusjurandum quod sequitur:

„ Juro, me sacratissimæ Majestati IMPERATORI nostro
„ fidelissime servituum, munia mea cum summa diligentia & om-
„ ni studio curaturum, meis præpositis debitam obedientiam &
„ reverentiam nullo non tempore exhibiturum, atque in rebus ad
„ salutem reipublicæ civiumque pertinentibus illorum auscultatu-
„ rum consilia & præcepta.

§. XXVI.

„ Me curam ægrorum, qui se mihi confidunt, nulla habita
„ ratione seu dignitatis seu opulentia æquali benevolentia & dili-
„ gentia gesturum; ideoque pro muneris mei gravissimi officio nul-
„ lo labore pertæsum diu noctuque graviter decumbentibus aut

„ vul-

„ vulneratis promptissime adfuturum neglecto omni periculo aut
 „ contagione.

§. XXVII.

„ Fore me intentum, ut ægri aut vulnerati tempestive non
 „ tantum suis negotiis mundanis, sed & animæ saluti provideant;
 „ dein etiam ut aut ipse ego infantibus recens natis christianorum
 „ parentum instante vitæ discrimine baptismum administrem aut ad-
 „ ministrari jubeam.

§. XXVIII.

„ Promitto sanctissime, me nec ullo tempore, nec sub ullo
 „ prætextu medicamentum præscripturum aut porrecturum, quo dire-
 „ cte vel indirecte abortus inferri aut promoveri queat.

§. XXIX.

„ Neque etiam falso nomine specifici, neque pericula in
 „ meis ægris. faciendi causa usurum me unquam remediis, quæ
 „ vocant drastica, aut præparatis arsenicalibus.

§. XXX.

„ Fide honesti viri me celaturum ægrorum nomina, qui se
 „ morbis occultandis afflictos mihi credunt: nec passurum, ut ul-
 „ lis

„ *lis corruptelis in meum aut alterius commodum seductus fiducia*
„ *familiarum mihi cognitarum abutar.*

§. XXXI.

„ Porro ubicunque pro munere meo aut attestata scribenda
„ aut de vulnerationibus violentiisque ad præpositos indicia mit-
„ tenda, vel coram danda sunt, facturum me, locuturum aut
„ scripturum, quod verum, quodque justum est, neque studio
„ meæ utilitatis, neque alio malo consilio, quæ gesta sunt in favo-
„ rem aut detrimentum exaggeraturum vel imminuturum.

§. XXXII.

„ Denique promitto, me a pharmacopoeis pecuniam & mu-
„ nera non accepturum, nec quovis modo secretam cum eisdem
„ initurum societatem, ex qua damnum meo officio, civium sani-
„ tati & meis ægris emergere possit; postremo nullatenus publice
„ aut clanculum antidota venditurum, aut alia quæcunque medica-
„ mina.

 C A P U T V.

 TAXA PROMOTIONUM, ADMINISTRATIO PECUNIAE, DIPLOMATUM EXPEDITIO.

§. XXXIII.

Taxæ, quæ propter promotiones numerantur, sunt honorarium, quod sane debetur examineribus laborem & tempus in examini-
bus consumentibus.

§. XXXIV.

Taxa pro obtinendo gradu doctoris est viginti quatuor, pro gradu magistri duodecim aureorum.

§. XXXV.

Qui antehac honores magistri chirurgiæ in hac Academia consecuti sunt, his deinceps gradum doctoris petentibus non nisi duodecim aurei solvendi sunt, duodecim aliis jam ad primam promotionem numeratis. Magistri vero alibi promoti ad doctoris gradum non admittuntur, nisi taxa integra deposita nempe viginti quatuor aureorum.

XXXVI.

§. XXXVI.

Taxæ promotionum solvendæ utprimum candidatis dies examinis præfinitur. Vice-directoris eundem indicantis est taxam recipere, & receptam cum nomine & cognomine candidati catalogo examinum inscribere. Finito examine idem annotat in catalogo, num examinatus fuerit promotus, & si id, an omnium consensu, vel an duntaxat per duas tertias suffragiorum: aut an plane fuerit rejectus.

§. XXXVII.

In casu posteriore examinatus jacturam facit dimidiæ depositæ taxæ, quæ detrahitur tum ut examinerum compensentur opera & tempus similiter ac in aliis examinibus impensa, tum ut hac ratione inhabiles ab irrito examine arceantur.

§. XXXVIII.

Pauperem artis medico-chirurgicæ admodum studiosum & eximio ingenio & dexteritate præ cæteris notum, director & vice-director ad examina gratis admittent, & etiam promovebunt.

§. XXXIX.

Administratio pecuniarum ab examinibus receptarum, & earum computatio ad unicum pertinent vice-directorem, a quo etiam solo damnum, si quid desit, est præstandum. Arca pecuniaria, quæ simul continendis numismatibus, donec præmia distribuuntur, infervit, semper est custodienda una cum diplomatibus Academiæ in Archivo. Directore inscio nulla pecunia erogari potest, illique liberum relinquitur, quandocunque libuerit, rem nummariam inquirere.

§. XL.

Dum ad annuam electionem vice-directoris convenitur, abdicans directore præsentem tradit succedenti pecuniam numeratam simulque rationes accepti & expensi adjunctis necessariis apochis.

§. XLI.

Singulo semestrio pecuniæ examinum receptæ & computatæ dividuntur ab examineribus in æquales partes: diductis prius expensis, quæ ad diplomata & pauca alia impenduntur.

§. XLII.

§. XLII.

Libuit Academiæ suam diplomatum constituere formulam & lingua imprimis latina, quod ejus usus extra Germaniæ fines fit quam latissime receptus. Inscribuntur diplomata doctorum æque ac magistrorum pergamenæ signo unius floreni notatæ, nominibus appositis primum secretarii, dein vice-directoris & directoris. Sigillum contentum in capsula, quæ magistris est lignea & doctoribus metallica, appenditur ex funiculo serico nigro & flavo intexto.

§. XLIII.

Secretarius diploma gratis promotio tradit. Quibus autem taxa promotionis condonata fuit, his dum diplomata recipiunt, sex floreni sunt solvendi; similiter quoque illis, qui prius magistri, ferius vero doctoris honores sunt adepti, hi nempe hac ratione duo obtinere diplomata.

C A P U T VI.

JURA ET PRÆROGATIVÆ DIPLOMATI ANNEXÆ.

§. XLIV.

Decretum imperiale diei 15. Februarii 1786. atque articulus tertius diplomatis inauguralis §. I. facultatem concedunt possessori

diplomatis ab Academia concessi artem, cujus in examinibus specimen edidit, per omnes ditiones austriacas in ordine militari ac civili libere exercendi, omniaque publica & regio-cæsarea chirurgiæ competentia munia obtinendi.

§. XLV.

Per mandatum die 31. Augusti 1781. toti exercitui publicatum hæreditariarum provinciarum universitates edocentur a *sua Majestate*, ne quos admittant chirurgos militares ad examina ultima, nisi in Academia *Josepbina* biennem studiorum cursum absolvissent. Academia igitur rata habere non potest examina, in quibuscunque universitatibus a chirurgis suscepta, qui præfinito studiorum cursui per duos annos non adfuere.

§. XLVI.

In posterum seclusis omnibus aliis solummodo ii attolluntur ad altiora munia exercitus Cæsareo - Regii, qui diplomata magistri aut doctoris ab hac Academia obtinuerunt. Quare qui ad hæc munia adspirant, autographum sui diplomatis ante diem 15. Februarii 1786. obtenti Protochirurgo exhibere debent. Serius promoti inveniuntur in commentario Academiae.

§. XLVII.

§. XLVII.

Tandem æquum est, ut doctoribus chirurgiæ utpote qui in examinibus suæ doctrinæ plura & ampliora quam magistri, dedere documenta, in consequendis muniis priores quoque præ his deferantur; præcipue vero posthac nec ulli locus dabitur ad honores professoris in hac Academia aut chirurgi status militaris supremi, nisi quos Academia doctores creaverit.

Vindobonæ 5. Aprilis 1736.

ALEX. DE BRAMBILLA.

placuit

JOSEPHUS.



Ad Mandatum Sac^e. Cæs^e. Regiæ
Majestatis proprium.

Ludovicus a Türkheim.

2. XLI B.

In-Examinibus...
 in-Examinibus...
 in-Examinibus...
 in-Examinibus...
 in-Examinibus...

Vindobonae 5. Aprilis 1750.

Annus 1750.

placuit

FORER



In-Examinibus...
 In-Examinibus...
 In-Examinibus...